



XXXVI.

Disputationum Theologicarum,

in quibus

DOGMA TA PAPA LIA

JUXTA SERIEM BELLARMINI

ΕΠΙΤΟΜΙΚΩΣ ΕΧΡΕΝΔUNTUR,

QVINTA,

DE

PAPA ROMANO,

QUAM

Deo Opt. Max. feliciter annuente,

in celebri Jenensi Academia

P R Æ S I D E

DN. JOHANNES GER-

HARDO, SS. THEOL. DOCTORE

ET PROFESSORE PUBLICO,

Rectore Magnifico,

Ad disputandum publicè proponit

die 22. Aug. horis locoq; consuetis

CHRISTOPHORUS DÖRING,

Zittâ Hexapoli-Lusatius,



JENÆ TYPIS STEINMANNIANIS,

ANNO M. D C. XXIX.

DOGMA TA PAPA
LIXTA SEELM ERLEBUNG
ANTONIAE...
LIXTA
DE
PAPA ROMANO

Des Oer Max...
in celebri... Academia

IN JOHANNIS GER.
HABDO, SS. THEOL. DOCTOR
ET PROFESSOR...
Hortor...
ad...
de...
CHRISTOPHORUS DORING
Zwei...
1700

LENAE TYPIS STEINMANNIANIS
ANNO MDCCLXX

T H E S I S I.



Dixerat Bellarminus superiùs lib. 3. de Verbo Dei c. 3. Judicem veri sensus Scripturæ & omnium controversiarum esse Ecclesiam: Jam sese explicat, quid nomine Ecclesiæ intelligat, cum l. 4. de Rom. Pontif. cap. 1. asserit, summum Judicem in Ecclesia esse Pontif. Rom. ac proinde ultimum ejusdem judicium.

Lib. 4. c. 1.

2. Tribuunt ergò Pontificii Papæ in omnibus fidei & morû controversiis summam & authenticam judicandi potestatem, & sive Scripturam, sive Ecclesiam, sive Concilia, sive Patres, pro astruendis dogmatibus controversis afferant, semper tamen Scripturæ, Ecclesiæ, Conciliorum, Patrum nomine Papam intelligunt, ut ultima Analysis ostendit.

3. Nos contra statuimus 1. Non Pont. Rom. esse summum & authenticum controversiarum de rebus fidei judicem, sed 2. Spiritum S. in Scripturis & per Scripturas S. ad nos loquentem:

4. Prius nostræ sententiæ membrum probamus I. quia sine sacrarum literarum autoritate privilegium summi & authenticici iudicii sibi vendicat, cum nec Christus, nec Apostoli uspiam ad Rom. Pont. tribunal nos remittant. II. quia est errori obnoxius, cum nullibi ad Propheticam & Apostolicam infallibilitatis prerogativam evehatur. III. quia potest fieri hereticus. IV. quia actu ipso aliquoties erravit. V. quia sæpè ne quidem secundum communem mensuram donationis Spiritûs S. est particeps, ut testantur Paparum flagitia ab ipsis Pontificiis Scriptoribus annotata. VI. quia Papa sæpè est dubius, aliquando n. nullus fuit Pontifex, aliquando plures fuerunt, aliquando per Simoniam, per Magicas artes, per vim &c. Pontificatû occuparunt. VII. quia interpretationes Scripturæ absurdas & alienas quâdoq; pfert.

5. Posterius membrum, quòd Spiritus S. sit summus controversiarum Judex, probamus ex eo, I. quia Scriptura à Spiritu S. est edita, proinde etiã ab eo principaliter pendet vera Scripturæ intelligentia 2. Pet. 1, 21. II. quia Spiritus S. principaliter mundum arguit de peccato, Joh. 16, 8. ducit pios in omnem veritatem. v. 13. docet eos omnia ad salutem necessaria, Joh. 14, 26. 1. Joh. 2, 27.

6. Bellarmin. ut probet, summam judicandi potestatem Pontifici competere, adducit 1. ex V. T. locum Deut. 17, 8. Sed ibi nec de solo Sacerdote V. T. agitur, nec iudicium absolutum ei tribuitur, sed ad legem divinam restringitur. 2. ex N. T. Joh. 21, v. 17. Sed quod ibi Christus Petro dicit, illud omnibus Apostolis dictum, Matth. 28, 19.

Cap. 2. 3. 4.
5. 6. & 7.

7. Cap. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. tractat quaestionem de infallibilitate Pontificis, & postquam c. 2. dissentientes suorum opiniones recensuerat, subjungit: *Sententia est certissima, Pontificem, sive haereticum esse possit, sive non, non posse ullo modo definire aliquid haereticum à totà Ecclesià credendum.*

8. Nostra verò hæc est sententia: Pontifex Rom. in rebus fidei errare potest, ac proinde non est infallibilis.

9. Ut clarius mentem nostram exponamus, dicimus I. Pontificem Rom. in rebus fidei errare posse non solum ut est *persona privata*, sed etiam ut est *persona publica*, & ex cathedra pronunciat. II. Pontificem ex cathedra pronunciantem non solum in *questionibus facti* errare posse, sed etiam in *questionibus fidei*. III. Pontificem tunc errare dicimus, si à *regulà fidei* in Script. sacris proposità discedat, ac proinde ipsius decreta ex Scripturis esse examinanda asserimus. IV. Petrum, quem primum Pon. Rom. falso asserunt, post acceptum Spirit. S. in *omnem veritatem* ab eo ductum fuisse, Joh. 16, 13. concedimus, sed tale privilegium non errandi Pontificibus Rom. competere negamus.

10. Probamus ex eo I. quia absoluta illa infallibilitas Pontificis non potest aliquo perspicuo Scripturæ dicto demonstrari. II. quia Pontifices V. T. quorum tamen ordo à Deo erat institutus, erraverunt, ut Aaron Ex. 32. Urias 2. Reg. 16. Passur Jer. 8. & 20. Caiphas & Hannas, Matth. 26. Joh. 9. & 11. III. quia perversa Judæorum opinio, quod summi Pontifices non possint errare, à Prophetis fuit reprobata, Jer. 7, 4. c. 18. 18. IV. quia omnis Pontifex ex hominibus assumptus *infirmirate circumdatus est*. Hebr. 5, 2. V. quia solis Prophetis in V. & Apostolis in N. T. privilegium absolutæ infallibilitatis competit, unde Ecclesia super fundamentum eorum dicitur extructa, Eph. 2, 20. VI. quia omnes reliqui Ecclesiæ Doctores ad Verbum sunt astricti, Esa. 8, 9. Gal. 1, 8. VII. quia multi Pontifices inventi sunt à fide apostatasse, ut Lyranus in cap. 16. Matth. testatur.

II. Cap. 3.

11. Cap. 3. probare conatur Bell. Pontificis Rom. infallibilitatem I ex eo quod Christ' rogaverit pro Petro, ne deficeret fides ejus, Luc. 22, 31. Atqui 1. falso praesupponitur hic Papam esse Petri Successorem. 2. Oravit Christus pro Petro, non ut nunquam veram fidem posset amittere (amisse enim trina abnegatio evincit) sed ne fides ejus finaliter deficeret. Et quia praevidebat Dominus, Petrum reliquis Apostolis gravius esse lapsurum, ideo non in genere tantum, sed etiam in specie ardentissime pro ipso orat.

12. II. Ex eo, quod Petrus & quilibet ejus Successor, Matth. 16, v. 18. dicatur petra & fundamentum Ecclesiae. Sed resp. per Petram & Fundamentum, super quod Ecclesia extruenda dicitur, intelligitur ipse Christus, vel quod idem est, vera in Christum fides & confessio, quam expositionem probat Paulus 1. Cor. 3, v. 11. eamque amplectuntur multi Pontifices, Concilia, Scholastici, aliique Scriptores Pontificii.

13. III. Ex illo Joh 21, 17. *Pasce oves meas*. Sed resp. Neq; Monarchicus Petri multo min⁹ Papae dominatus, neq; infallibilitas ex hoc loco pbari potest, sed trine abnegationi opponitur trina confessio, ac mandati repetio curam ovium magis commendat.

14. IV. Ad typum de Urim & Thumim in rationali Pontificis, Ex. 28. resp. Epistolam Hebr. testari Pontificem V. T. fuisse typum Christi, sed quod idem fuerit typus Pontificis R. de eo ne jota quidem in Scripturis extat.

15. A cap. 8. usque ad 14. Bell. excusare satagit notorios Pontificum errores, sed hoc tam frigide facit & oscitanter, ut nec sibi, nedum aliis satisfecisse videatur.

16. Ad quaestionem: an Papa possit condere leges, quae universam Ecclesiam obligent in conscientia, quam probare nititur Bell. c. 16. dicimus breviter. Cum Papa non sit Petri successor, nec totius Ecclesiae Monarcha, utiq; etiam non potest leges condere totam Ecclesiam obligantes, & quodcumque aliquid praecipit, quod non congruit cum regulae verbi in Scriptis Prophetis & Apostolicis propositi, tunc neminem vel debere, vel posse illud servare asserimus, Deut. 4, 2. Es. 8, 9. Matth. 28, 20. Gal. 1, 8.

17. Tandem Bellar. l. 4. c. 22. 23. 24. & 25. asserit, Christum soli Pontifici summo immediate contulisse jurisdictionem Ecclesiasticam, ita ut omnis Episcoporum jurisdictio a Papa immediate descendat.

Cap. 8. 9. 10
11. 12. 13. 14.

Cap. 15.

Lib. 4. cap.
22. 23. 24.
25.

18. Hanc assertionem, quæ itidem ut aliæ ex falsâ hypothesi, Monarchicæ potestatis soli Petro & Papæ à Christo collatæ, dependet, nos in totam negamus.

19. Argumenta nostræ sententiæ potiora sunt petita I. Ex Apostolorum æqualitate. Christus non Monarchâ aliquẽ, sed duodecim Apostolos instituit, usq; omnibus non solum æqualem, sed etiam eandem potestatem concessit Joh. 20, 21. II. Ex praxi Apostolica. Si Christus Petro dedisset universam totius Ecclesiæ jurisdictionem, potuisset Matthiam & Paulum ad Apostolatũ eligere. Sed Apostoli unanimiter petunt, ut Dominus ipse ostendat, quem elegerit Act. 1, 24. ac Matthias dicitur accepisse sortem ejusdem Ministerii & Apostolatũs. v. 26. Paulus nec ab homine, nec per hominem constitutus est Apostolus, Galat. 1, 2. & 16. Apostoli multos Episcopos non consulto Petro ordinârunt.

Lib. 5.
Cap. 1.

20. Lib. 5. de R. P. aggreditur Bellar. controversiam de potestate Pontificis in temporalibus, ubi docent Pontificii plerique summũ Pontificẽ jure divino habere plenissimam potestatem in universum terrarũ orbẽ, tum in rebus Ecclesiasticis, tum in Politicis, ita ut regna infidelium jure suo donare possit, quibus voluerit fidelium: affirmant, omnes Reges esse Papæ Vasallos, ac teneri Imperatorem Papæ præstare juramentum fidelitatis.

Cap. 2.

Cap. 3.

Cap. 4. 5.

21. Cum verò videat Bell. nimis crudum esse, si tale dominiũ, vel ulla temporalis jurisdictione Pontifici tribuatur directè, ideò hanc assertionem Canonistarum lib. 5. c. 2. 3. & 4. repudiat ac refellit: Probat enim cap. 2. Papam non esse Dominum totius mundi, cap. 3. Papam non esse Dominũ totius orbis Christiani, cap. 4. & 5. Papam non habere ullam merè temporalem jurisdictionem directè jure divino.

Cap. 6.

22. Ipse ergò cap. 6. d. l. jurisdictionem Pontificis temporalem sic restringit, ut asserat, Pontificem ut Pontificem, etsi non habeat ullam merè temporalem potestatem, tamen habere in ordine ad bonum spirituale summam potestatem disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum, ac proinde habere summam potestatem temporalem indirectè.

Cap. 8.

23. Quamvis v. Bell. indirectam tantum potestatem in temporalibus Pontifici tribuat, tandẽ tamen eò abit, ut disertè scribat cap. 8. Licet absolutè non esset necessarium, ut Papa confirmaret Imperatorem, nec ut Imperator Pontifici juramentum fidelita-

fidelita-

fidelitatis præstaret, tamen à tempore translati imperii in Germanos utrumque requiritur.

24. Ab hac sententia nos toti discedimus, ac dicimus, Pontifici Rom. non competere summum dominium temporale in Imperatorem, Reges, & Principes, nec convenire Ecclesiasticis personis politicam jurisdictionem.

25. Quando hoc dicimus, tunc I. Non solum derogamus Papæ *directum* dominium temporale, in politicos Magistratus, sed etiam *indirectum*. II. Pontifici & Episcopis multos principatus & provincias ab Imperatoribus, Regibus & Principibus donatas esse non negamus, sed illi donationes illas non debuissent recipere, uti Christus regnum sibi oblatum acceptare noluit, Joh. 6, 35. sed & particulares illæ donationes Ludov. I. Pipini &c. nondum probant supremam in omnes Impp. ac Reges potestatem, quam Papa sibi vendicat.

26. Hanc nostram sententiam confirmamus I. ab expresso Christi interdictione, Matth. 20, 25. Marc. 10, 42. Luc. 22, 25. II. A Christi exemplo. Christus disertè testatur, *regnum suum non esse de hoc mundo*, Joh. 18, 36. se non venisse, ut sibi ministraretur Matth. 20, 28. unde cum ipsi regnum offerre cuperent, fugit Joh. 6, 15. Magistratui tributum dedit Matth. 17, 27. ac Cæsari quæ sunt Cæsaris danda esse docuit, Matth. 22, 21. III. Ab Apostoli interdictione, 1. Petr. 5, 3. Presbyteri eo modo *ἐπιτροπεύειν* & pascere jubentur gregem Domini, ne in eum dominatum exerceant. IV. Ab Apostolorum exemplo Apostoli nusquam leguntur politicum imperium administrasse, sed docent suo exemplo administrationem politicorum officiorum, quæ prædicationi verbi impedimentum injicit, Episcopos à se rejicere debere, Act. 6, 2. V. Ex dicto Apostolico 2. Tim. 2, 4. Nemo militans Deo implicat se negociis secularibus, Ex quo Pontificii probare volunt, debere Ministros Ecclesiæ à conjugio abstinere, cum sit negocium seculare. E. multò magis debent abstinere à Magistratu politico. VI. A discrimine Ecclesiasticæ & politicæ potestatis. Has enim potestates Deus ipse distinctas voluit, ut ex causa instrumentali, objecto, forma ac fine earundem patet. E. non possunt nec debent ab unâ eademque personâ administrari. VII. A divinâ in Ecclesiâ Israëlita ordinatione Regnum fuit tribus Judæ proprium, Sacerdotium a tribu Levi fuit assignatum, 2. Paral. 19, 11. IIX. Ab incommodis, quorum Theologi Schmalcaldicæ congregati plurima recensent in tractatu de potestate & primatu Papæ.

Cap. 7.

27. Bellarm. Pontificis potestatem temporalem ita probat lib. 5. c. 7. de Roman. Pontif. quia potestas civilis subiecta est spirituali, quando utraque pars est ejusdem Reipublicæ. Ergò potest Ecclesiastica imperare Principibus temporalibus; sed resp. I. Bell. ipse cap. præcedente scribit: sublata Ecclesiastica potestate adhuc manet politica, ac inveniuntur hæ potestates quandoque separate, ut tempore Apostolorum. E. potestas politica non est absolutè & simpliciter Ecclesiasticæ potestati subordinata. Quæ enim absolutè & simpliciter subordinata sunt, eo modo conjunguntur, ut sublato superiore statim tollatur inferius.

28. II. Quia Reipub. Ecclesiasticæ, ut sit perfecta & sibi sufficiens in ordine ad suum finem, necessaria sit potestas utendi & disponendi de rebus

rebus temporalibus, quia alioqui possent mali Principes impunè fovere hereticos & evertere religionem **R.** 1. Tempore Apostolorum & Gregorii perfecta fuit Respub. Ecclesiastica, & tamen Ecclesia tunc nondum habuit politicum Principatum, ut fatetur Bellarm c. 10. l. 5. de R. P. Ergo potestas disponendi de rebus temporalibus non pertinet ad perfectionem Ecclesiae. 2. Nec Christus nec Petrus unquam sibi arrogavit potestatem in Imperatorem, ne quidem indirectam. **E.** si Papa vult esse Christi Vicarius & Petri Successor, itidem ab eâ sibi temperare debet.

29. **III.** Quod Christianis non liceat tolerare Regem infidelem, ac proinde solius Pontificis sit tùm judicare, an Princeps pertrahat ad heresim, tùm deponere talem Principem. Opponimus contrarium præceptum Christi Matth 22, 21 & Apostolorum Rom. 13, 1. Tit. 3, 1. 1 Pet 2, 13.

Cap. 8.

30. Cap. 8. lib 5. profert exempla, quod Pontifices sæpè deposuerunt Imperatores. Ad quod respondemus 1. Multi defenderunt Imperatores contra Pontifices 2. Quidam Imperatores deposuerunt Pontifices 3. Exempla ostendunt, malè cessisse illis, qui ob Pontificum excommunicationem Imp. obœdientiam debitam denegârunt.

31. Ad illud, quod Leo III. imperium à Græcis ad Germanos transtulerit quod à tempore translati imperii in Germanos requiratur, ut Papa confirmet Imperatorem, & ut Imperator Papæ præstet juramentum fidelitatis, quod Gregorius V. sanctionem ededit de Imperatore eligendo per septem Germaniæ Principes, quæ adhuc servatur, ac proinde Pontifex Imperatore & omnibus Principibus sit superior, dicimus ea esse dubia & incerta, imò falsissima.

Cap. 9.

32. Cap 9 lib 5. vult probare, quod nō pugnet cum verbo Dei, ut unus homo sit Princeps Ecclesiasticus & Politicus simul 1. quia multi sancti fuerunt simul Reges & Pontifices, ut Melchisedech Gen. 14. Moses Exod. 18. 32. 40. Heli 1. Reg 1. &c. Respondemus verbis Pontificis Nicolai cum ad verum dist. 96. Ante Christi adventum eosdem fuisse & Reges & Principes, sed Christum verum Regem & Pontificem ista distinxisse.

33. **II** Quia Ecclesiastica & Politica potestates nō sunt sibi contrariæ **R.** Conjugium & Sacerdotium non sunt status contrarii, nec tamen vult Bellarm. concedere, quod possint simul esse in eadem persona. 2. Differunt hæ potestates multis modis, ut dictum est th. 26. **E.** non possunt ab uno & eodem ritè administrari, quod ipsum. 3. testantur ipsi facti Episcopi Pontificii docendi munus in aliorum humeros rejicientes.

34. **III** Quia qui donaverunt Episcopo Rom. principatus temporales, pii homines fuerunt **R.** Constantini donationem quidam ex ipsis Pontificiis negant multi impugnant, multi Imperatores eidem contradixerunt. Reliquas Bellarmini rationes hinc præterire cogimur.



